

HEINRICVS AVT HEINE VVOLEB VRANIENSIS.



**H**einricus Vuoleb insigni animi & corporis fortitudine fuit præditus. Itaque à teneris annis cum suis Heluetijs militiæ operam dare atque bellorū castra sequi cœpit. prima belli auspicia contra Carolum potentem Burgūdiæ ducem peregit. Vbi etiam principe illo aliquot prælijs uicto, & tandem ad Nansen occiso, magnam uirtutis opinionem nactus est. Postea cum Carolo Galliæ rege atque Heluetiorum peditatu in Italiam & Neapolitanum regnum profectus, magna gloria ordines duxit, atque res sibi commissas fortiter administrauit.